



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

c. 7. Cum Christus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

Ex a eodem.

Loquitur de eadem materia cum precedenti: & extenditur quod ibi dictum fuit de episcopis, ad presbyteros & alios clericos.

C A P. VI.

**I**N eos, qui catholici non sunt, etiam si consanguinei fuerint, episcopi vel presbyteri nihil conferant. Denique hoc, quod de episcopis & presbyteris dictum est, debet de reliquis clericis exaudiri.

COMMENT. V.

**T**itulus huic capiti prefixus habet ita, Ex eodem, scilicet, concilio Africano, unde precedens caput desumptum est, sed non est in concilio Africano, sed desumitur ex concilio Cartaginensi III. cap. 13.

**H**ereticis quibuscumque nihil relinquendum. **In eos.] Verba in praecitato concilio sunt aperta, habentque ita: Ut episcopi vel clerici, in eos qui catholici Christiani non sunt, etiam si consanguinei fuerint, nec per donationes, nec per testamentum rerum suarum aliquid conferat. haec ibi. Addit Zonaras, idem esse legibus civilibus constitutum; quod & verum est, quoniam haeretici nihil omnino capere possunt, ex cuiuslibet testamento, aut alia qualibet ultima voluntate, vel contractu. l. Manichaeos. l. diuinam. C. de haeret. cum similibus. quod est in odium haereticorum introductum, ut hac suppliciorum acerbitate respiciant. Vide Theodorum Balsamonem cano. 25. synodi Cartaginensis, ubi plura de interpretatione huius canonis.**

Alexander III. Rhemen. Archiepiscopo.

Christus fuit verus Deus, & verus homo, et sentiens oppositum haereticus est, & excommunicatus.

C A P. VII.

**I**N M<sup>a</sup> Christus perfectus Deus & perfectus sit homo: mandamus, quatenus sub anathemate interdicat, ne quis de ecclesia audeat dicere Christum non esse aliquid, secundum quod homo: quia sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.

COMMENT. VI.

**E**Xtat hodie hoc c. in 3. volumine conciliorum generalium post concilium Lateranen. sub Alexandro III. par. 49. c. 20. ubi paulo susus verba concipiuntur, ex quibus hic locus potest illustrari. Ut vero Alexander hoc edictum circa annum Domini 1159. aduersus quosdam magistros scholae Parisiensis, Rehemensis, & aliarum ciuitatum, qui temere dicebant, Christum secundum quod homo erat nihil esse: quam etiam stultitiam multis antea factis

Christum secundum quod homo nihil esse, haereticus est.

alis condemnauit Euthychianus Papa circa annum Domini 276. epistola quadam ad Joannem & omnes Episcopos Beticae prouinciae.

Ex Concilio Lateranen.

Haeretici, receptatores & fautores eorum, excommunicati sunt, & decedentes in hoc peccato, in caetero ecclesiae sapeliri non debent, nec pro eis orari.

C A P. VIII.

**I**CVT ait beatus Leo: & infra.] Quia in partibus Tholosanis haeticorum, quos alij Catharos, alij Patrenos, & alij alijs nominibus vocant, inualuit damnanda pueritas: eos & defensores, & receptatores eorum, anathemati decernimus subiacere: Et sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domo, vel in terra sua tenere vel fouere, aut negociatione cum eis exercere praesumat. Si autem in hoc peccato decesserit, neque sub priuilegiorum nostrorum quibuscumque indultorum obtentu neque sub alia quacunque occasione oblatio, pro eo fiat, aut inter Christianos accipiat sepulturam.

COMMENT. VII.

**S**icut ait beatus Leo. ] Desumptum est hoc ex fragmentum ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. habito Roma anno Domini 1180. conuocatis 280. Episcopis. Legitur hodie in praefato concilio c. 27. hic vero mutilus est textus, & quasi imperfecta sententia, in authographo ita legitur: Ea propter, quia in Gasconia, Allegesio, & partibus Tholosanis, & alijs locis ita haeticorum quos alij Catharos, alij Patrinos, & alij Publicanos, alij alij alijs nominibus vocant, inualuit damnata pueritas, ut iam non in occulto, sicut aliqui nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant & infirmos: eos, & defensores eorum, & receptatores anathemati decernimus subiacere, & sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra sua tenere, uel fouere, vel negociationem cum eis exercere praesumat: si autem in hoc peccato decesserint, non sub nostrorum priuilegiorum cultibet indultorum obtentu, nec sub alia quacunque occasione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter Christianos recipiant sepulturam haec ibi.

**I**n hos iure etiam civilis statuta poena est aut be. Gazaros. C. de haeret. eorundem fit mentio in excommunicamus. el. 2. de haeret. ubi alia etiam haeticorum portenta, qui circa mille ducentos annos in Narbonensi prouincia, & partibus Tholosanis pulularunt, numerantur, cum quibus beatus Dominicus frequentes habuit per decennium disputationes ut alibi diximus.

**O**blatio pro eo fiat. ] Hoc est, ne sacrificium Missae pro eo offeratur, quod hic summus Pontifex vocat oblationem, quia Deo offertur pro expiatione peccatorum: idem etiam intellige de alijs Ecclesiae.